



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

IX. Vtrum institutio sacramenti sit voluntas conferendi gratiam
sensibiliter?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

quia magis clarè, & quasi primò impetu suggeritur, cetera verò minus principaliter, & minus expressè importantur. Patet secunda pars, quod scilicet per sacramentum dum in propositione ponitur forma, & materia per se in recto importantur; quia scilicet in horum notitiam plerumque incumbunt Theologi, dum de sacramentis agunt, & circa sacramenta propositiones formant. Circa tertiam comparationem: cetera constitutiva per se, & plerumque in obliquo importantur, præsertim in propositione quia minus expressè, & clarè importantur per sacramentum, nec in ipsorum notitiam, valde propendunt Theologi, & PP.

Ad 1. Non quod concipitur per se stans, sed quod clarius & expressius est rectum. Forma autem sic concipitur ab eo, qui format enunciationes circa sacramentum, idè magis in recto, quam materia importatur; licet utraque aequaliter rectum sit: sicut ex materia, & forma physica fit vnum compositum, quod est rectum totale cæterorum sibi adiacentium. De institutione diuina esto, quod per se in obliquo solum importetur, & per hæc patet etiam ad 2.

Ad 3. Pro constitutione recti non attenditur nobilitas rei secundum se consideratæ, sed secundum eam rationem, quæ ab vnoquoque concreto dicitur de formali. Vnde licet aqua præmineat verbis secundum entitatem; quia tamen verba præminent aquæ secundum significationem, quæ attenditur magis in sacramento, quam alia perfectiones, idè non solum aqua, sed etiam verba, cum quibus ipsa vnum substantiale moraliter constituit, importantur in recto; & magis verba, quam aqua.

Q V Æ S T I O IX.

Virum institutio sacramenti sit voluntas conferendi gratiam sensibiliter?

Videtur non esse. 1. Quia voluntas dandi gratiam sensibiliter existit in Deo ab æterno. Institutio autem sacramentorum facta est à Christo Domino in tempore. Ergo illa voluntas, & hæc institutio distinguuntur realiter.

2. Voluntas conferendi gratiam, & voluntas significandi collationem gratiæ sunt diuersæ voluntates. Institutio autem sacramenti fit per voluntatem significandi collationem gratiæ, siquidem sacramentum est signum collationis gratiæ, vt liquet ex eius definitione. Ergo non consistit in voluntate conferendi gratiam, saltem adæquatè.

3. Ex Scoto, Gabriele, & aliis; institutio sacramenti est impositio significationis gratiæ coniecta cum firma, ac rata constitutione efficacitatis adiungendæ eidem significationi. Hæc autem non includuntur in sola voluntate conferendi gratiam sensibiliter, siquidem gratia conferri sensibiliter potest nulla antecederet imposita significatione ipsius gratiæ; conferri certè potest non adiuncta constitutione efficacitatis conuenientis ipsi significationi.

4. Ex Durando, institutio sacramenti consistit in designatione rei, aut vocis, cui insit significatio gratiæ, & efficacitas significationis. Talis autem, seu rei, seu vocis, seu vtriusque designatio non fit per solam voluntatem conferendi gratiam sensibiliter. Quia Deus potest velle conferre sua virtute gratiam sensibiliter; simulque velle committere alteri designationem rei, & vocis, per quas illam conferat, reddatque sensibilem. Ergo institutio sacramenti est om-

nino distincta à voluntate conferendi gratiam sensibiliter.

5. Institutio naturalis vocum, aliorumque signorum fit per mutuam promissionem, & obligationem inuicem notificatam, non adhibendi tales voces, aut res, nisi cum aderunt tales conceptus, vel tales alie res. Ergo institutio supernaturalis sacramentorum facta similiter est per promissionem, & obligationem notificatam, & acceptatam non adhibendi tales res sensibiles, aut voces, quin eo ipso conferatur gratia. Patet autem nequaquam includi hæc omnia in simplici voluntate conferendi gratiam sensibiliter; ac proinde fieri non potuit institutio sacramentorum per eiusmodi voluntatem.

Art. 1. Respondetur. Institutio sacramenti proculdubio consistit in impositione significationis efficacis gratiæ adiuncta enti sensibili habenti analogiam, & symbolicam proportionem cum gratia. Cum enim sacramentum sit signum symbolicum effectuum gratiæ; per id vtiq; institutum illud erit, vi cuius imposita erit significatio effectiua gratiæ entitati sensibili habenti dictam analogiam.

Art. 2. Impositio porro eiusmodi significationis constat voluntate efficaci conferendi gratiam, sufficienti ex se ad illam conferendam, quoties exhibita fuerit talis determinata res sensibilis secundum tales determinatas circumstantias, & manifestatione eiusdem voluntatis facta iis, quibus, & à quibus exhibenda est res eadem sensibilis. Quia, posita tali voluntate, ipsiusque voluntatis reuelatione, fieri non potest, quin eo ipso exhibitio talis rei sensibilis inferat existentiam gratiæ, faciatque venire in cognitionem collationis, & existentiam eiusdem gratiæ omnes petentes exhibitionem eius rei sensibilis, & præuentas ea reuelatione. Eo namque ipso habebunt præmissas, ex quibus necessario inferatur illud consequens. Ergo eo ipso talis res erit signum effectuum gratiæ. Signum quidem quatenus facit venire in cognitionem gratiæ: effectuum verò, quatenus infert existentiam eiusdem. Ergo eo ipso imposita erit significatio intenta. Eadem verò imposita non erit, si deficiat aliquid eorum, quæ præmissa sunt, vt patet singula consideranti. Impositio igitur significationis sacramentalis, ad eoque institutio sacramenti ea omnia, & sola complectitur, quæ in dicta voluntate conferendi gratiam, eiusdemque voluntatis reuelatione obseruata sunt.

Art. 3. Eadem autem omnia, & sola continentur in voluntate conferendi gratiam sensibiliter. Imprimis enim voluntas aliquid faciendi, vel inefficax, vel aliunde insufficiens ad efficiendum non dicitur simpliciter, & absolute voluntas, sed secundum quid, & cum addito diminuenti; nempe velleitas, & voluntas affectiue tantum efficax. Ergo, dum dicitur absolute voluntas conferendi gratiam, re ipsa significatur voluntas efficax, & ex se sufficiens ad executionem. Dum autem additur sensibiliter, significatur re ipsa reuelatio eius voluntatis, etiam quatenus determinantis talem rem sensibilem, habentem vtiq; vt superius, dictum est, analogiam cum gratia. Quia nimirum hæc omnia requiruntur, & sufficiunt pro sensibilitate intenta collationis gratiæ, vt liquet ex dictis. Dicendum igitur est institutionem sacramenti esse voluntatem conferendi gratiam sensibiliter, accipiendo tamen sensibilitatem, iuxta superius discussa de ea, quæ est perfectissima, & inest symbolo gratiæ.

Ad 1. Dum voluntati conferendi gratiam, quæ fuit in Deo ab æterno, adiungitur particula sensibiliter, satis indicatur manifestatio, & reuelatio facta in tempore à Christo Domino, vt nuper expositum est. Et quia adiciens operi vltimum complementum, dicitur absolute, cum illud adicit, tale opus perficere; propterea absolute dicitur Christum Dominum

Dominum instituisse sacramenta in tempore. Vel distinguatur claritatis gratia duplex institutio. Altera actiua, & aeterna constituta per voluntatem Diuinam conferendi gratiam per res sensibiles, idque ipsum reuelandi in tempore. Altera passiuia, & temporalis, constituta per exteriorem reuelationem talis voluntatis. Quo pacto distinguuntur à Theologis in tractatu de Fide reuelatio Dei actiua, & passiuia.

Ad 2. Sacramentum simul est signum, & causa gratiae, atque ideo eius institutio includit in se tum voluntatem conferendi gratiam, tum sensibilibiter conferendi, idest significandi collationem, vt dictum est.

Ad 3. Sufficenter expositum est in voluntate conferendi gratiam sensibilibiter includi omnia, quae exiuntur à Scoto, & affectis, esseque mutuò conuertibilia cum illa. Eadem est responsio ad 4. ex Durando; nimirum in re sensibilibiter includi designationem rei, aut vocis, siue ea designatio fiat ab ipso volente conferre gratiam, siue ab alio siue per eius commissionem à quibus differentiis modo praescinditur; dicetur verò de iisdem in quaest. sequenti.

Ad 5. Promissio, & obligatio, seu quasi obligatio aliquid faciendi non distinguitur in Deo, ad quem pertinet institutio sacramenti, à voluntate faciendi, & reuelandi se facturum, vt dictum est in tractatu de Iustitia quaest. 19. §. Neque verò. Distinguitur autem in homine. Vnde non tenet paritas.

QVÆSTIO X.

Vtrum solus Deus sit, solusque esse possit auctor institutionis Sacramentorum?

Videtur non esse, nec esse posse. 1. Quia Apostoli & eorum successores sunt Vicarii Christi in terris, iuxta illud 2. ad Corinth. 2. 2. *Nam, & ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi:* idest sicut Vicarius Christi, & perinde, ac si ipse Christus donasset. Vicarius autem potest eadem, quae potest principalis in his, quae pertinent ad stabilimentum, & conseruationem reipublicae sibi commissa, qualia sunt sacramenta respectu populi Christiani. Quare Apostoli, & eorum successores possunt instituire sacramenta, sicut Christus, quot, & qualia iudicauerint.

2. De institutione confirmationis, confessionis, & extremae vnctionis, nihil habetur in sacra Scriptura. In qua tamen traduntur, quae sunt diuinitus instituta. Probabile igitur est, tria haec sacramenta instituta esse immediate ab Apostolis, aut eorum successoribus, vti sentiunt de confirmatione Alenfis, & D. Bonauentura, & de extrema vnctione Magister, idemque Bonauentura: de confessione verò glossa dist. 5. in principio.

3. Rebus inanimatis communicauit Deus vim causatiuam gratiae, vt dicitur quaest. 24. & 25. Ergò substantiis rationalibus communicare potuit potestatem, vt rebus inanimatis eam vim communicarent. Nec enim ea potestas est quid maius respectu rationalium, quam ea vis respectu inanimatorum.

4. Potest Deus subdere vim, & actiuitatem omnipotentiae suae arbitrio voluntatis humanae, inito pacto producendi gratiam quoties, & quando homini libuerit, & per ea instrumenta, quae ipsa designauerit. Immo potest Deus, vt argumentatur Cardinalis de Lugo impertiri creaturae potestatem obligandi ipsum Deum ad conferendam gratiam per medium electum ab eadem; ad eum modum, quo in humanis Dominus dat facultatem ipsum obligandi, fa-

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I. l.

mulo facto procuratori ad contractus, & alia negotia. In vtrouis autem ex his euentu, maxime verò in secundo, potest voluntas creata communicare se sola cuilibet rei significationem, & vim infallibilem illatiuam gratiae, & sic instituere sacramentum, vt infert idem Cardinalis. Quod si potuit Deus eiusmodi potestatem impertiri, proculdubio est impertitus, quia, vt infert August. lib. 4. contra Maximum c. 3. ad finem: *Si potuit, & non voluit, inuidus fuit, quod in Deum cadere non potest.*

5. Christus, vt homo habet potestatem conferendi gratiam, quia Matth. 9. 6. dicit: *Sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittere peccata:* Christus autem est filius hominis, quatenus homo, & dimissio peccatorum fit per collationem gratiae. Ibi dem versu 5. dicit Magdalene, vt homo loquutione videlicet propriè humana: *dimitte tibi peccata tua;* idest confero tibi gratiam. Qui autem habet potestatem conferendi gratiam potest pro libito instituere signum, dependentem à quo eam conferat; ac proinde potest instituere sacramentum. Ergò Christus, vt homo potuit instituere sacramentum, & non solum, vt Deus.

6. Immo de facto omnia sacramenta instituit Christus, vt homo, quia, vt dicit glossa super illud ad Rom. 5. 14. *In similitudinem preuocationis Adae, &c.* ex latere Christi dormientis in Cruce fluxerunt sacramenta, per quae saluata est Ecclesia; nempe ex merito Christi patientis habent sacramenta omnem suam virtutem, & robur. Quo alludit Paulus 1. ad Cor. 1. 13. dum dicit: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Is autem est auctor institutionis sacramentorum, ex quo vim suam omnem, & robur ipsa obtinent. Ergò Christus patiens, quod non nisi, vt homini, illi conuenit, est auctor institutionis sacramentorum. Iam quod conuenit Christo, vt homini, potest diuinitus communicari puro homini. Ergò is potest diuinitus esse auctor institutionis sacramentorum.

Art. 1. Respondetur. De conceptu institutionis sacramenti est voluntas ex se sufficiens ad conferendam gratiam, idque primo, ac principaliter pertinet ad eius essentiam, quia inde primo, ac principaliter obtinet virtutem suam actiuam gratiae. Sola autem voluntas Dei habet ex se talem sufficientiam; Solus namque gratiam causare potest; iuxta illud ad Rom. 8. 23. *Deus qui iustificat:* nec alius potest filios adoptare, haeredes scribere vitae aeternae, quae est ipse Deus; & per veram amicitiam Deo coniungere cum mutua omnium vtriusque bonorum communicatione. Quae omnia, & similia habentur formaliter per gratiam. Ergò solus Deus est, solusque esse potest principalis auctor institutionis sacramentorum.

Art. 2. Verum cum ad hanc requirantur determinationes rei sensibilis, & temporalis reuelatio voluntatis diuinæ; atque Deus possit proculdubio committere creaturae huiusmodi determinationem; eademque mediante reuelare temporaliter suam voluntatem, patet creaturam posse Deo sic ordinante instituere sacramenta secundario, & minus principaliter. Conuenientius tamen fuit, ne ea ipsa designatione materiae, & formae committeretur arbitrio creato; tum quia spectat ex natura rei ad agens principale, vt assumat per se instrumenta sibi congruentia; tum vt eo longius remouerentur homines ab spe, & fiducia collocanda in creatura; tum quia ad iucundam, vberem, & salutare sacramentorum, & eorum, quibus ipsa constat, meditationem plurimum confert, delectum rerum, & verborum quibus gratia significatur, ac repraesentatur, factum esse à Deo immediate.

Art. 3. Cum enim intellectus diuinus sit com-

Cc 2

Prehen